

Hermann CONRING

CARMINA FUNEBRIA

(670 vers)

Le texte proposé ici est celui de l'édition parue  
chez Georgius Wolfgang Hammius, à Helmstädt, en 1708.

## HERMANNI CONRINGII CARMINA FUNEBRIA.

LESSUS IN PRAEMATURUM OBITUM DOROTHEAE NATAE PRINCIPIS ANHALTINAE UXORIS  
AUGUSTI DUCIS BRUNSVICENSIS AC LUNEBURGENSIS IN PARTU EXSTINCTAE.

F_1	v.1	Accumulant se fata malis. Opposta feruntur
	2	sidera Juliadum domui : sed damna Cheruscum
	3	involvunt, moriturque suo cum principe Chaucus.
	4	Vix fueras, Friderice pater, suspiria luctus
	5	impediebat adhuc, et lamentabile rursus
	6	Dorotheae fatum, duplexque in funere funus
	7	simplice, funestis miseros perterritat umbris.
	8	Ante oculos, ante ora volat tam tristis imago,
	9	nec mentem sinit esse suam. Jactamur inanes
	10	speque metuque simul, dum formidabile signum
	11	ostentat timor, atque alio sors lumine ridet.
	12	Qualis ubi eripiunt furvae tibi carbasa Vestae
	13	fraternas, Dictynna, faces, languescit eundo
	14	aera licet multum quatiat nocturna viator,
	15	sidera et excelso volvuntur fornice mundi.
	16	Stant thalami casu attoniti, matresque gemiscunt
	17	proliferoque timent sinui. Quae damna minores
	18	non metuant, miserum moritur si femina princeps
	19	Lucinaeque furit tantum implacabilis ira ?
	20	Ipsa ducum magnumque pavent palatia regum,
	21	et circumducta sordescunt atria nube.
	22	Cum virtute dolor crescit, cum sanguine luctus ;
	23	nominibusque pares lacrimae ; dispendia curas
	24	attollunt, feritasque obitus conturbat Amyclas,

25 verbaque mox negitans constringit fascibus ora.  
 26 Atqui si virtus, pietasque et stemmata clara  
 27 heroum, si vota tori, si vota tuorum,  
 28 vel tenuem saltem remoram injecisse Charonti,  
 29 longius aut Parcae valuissent ducere telam ;  
 30 cerneret optata te matrem prole Caycus,  
 31 o mulier, canerentque suos cunabula pupos.  
 32 Non uni dare cuncta solet, sua munera parce  
 33 distribuit natura parens. Sinceraque captat  
 34 dona hominum nemo. Distinguitur ordo bonorum,  
 35 quemque polo exaequant dotes ad tartara mittunt  
 36 crimina. Forma Helenae longe pulcherrima ; sed mens  
 37 casta parum decoris florem quoque praeripit ipsum.  
 38 In te conveniunt dona omnia : sparsa beatos  
 39 quae faciunt congesta tenes : non purpura formam  
 40 commaculat : non est virtus indigna marito.  
 41 Astra velut splendet flammantia Cynthius inter  
 42 igne suo : cuncta unus habet, queis cetera fulgent,  
 43 atque omni pariter largitur lumina caelo.  
 44 Quid genus et proavos, non uno Caesare gesta  
 45 quid memorem ? Diversa canam quid murice sceptras,  
 46 semideosque Duces ? Insunt utrique parenti  
 47 pectora Divorum, Ascanios seu dicere reges,  
 48 seu placet in numerum celsos adsciscere Guelphos.  
 49 Quin gemini lauros poterunt ostendere postes,  
 50 nullus et heroum est numerus. Non saecula norunt  
 51 sanguinis exortum, tam limina clara dedisse  
 52 Dorotheam decuit. Guelphum ventura genetrix  
 53 et Guelphi conjux Laribus non nascitur arctis.  
 54 Semine sic patulae generoso surgitis ulmi ;  
 55 sic catuli canibus similes, animosque parentum  
 56 fertis equi, dignoque aquilae proditis ab ovo.  
 57 Magna haec, sed major superat primordia virtus,  
 58 et pietas titulis sublimior exstat avorum.  
 59 Hanc crudo quondam matris sub sanguine plena  
 60 miscuerat natura manu, spumaeque parentum  
 61 addiderat, quum femineum procudere vellet  
 62 Principis exemplum, et miracula conderet aevi.  
 63 Faverat incepto Pallas, mentemque serenam  
 64 induerat nascenti animae. Tum pectora casto,  
 65 ast blando pariter Juno construxerat igne.  
 66 Hinc patrias potuit virguncula spernere lauros,  
 67 majorum propriamque simul distinguere famam.  
 68 Quam prope sint nihili didicit peregrina. Parentum  
 69 nomina privato secrevit cauta decore.  
 70 Nobilitatem ultra pectus fuit : hoc quoque vultus  
 71 vicit, et in vultu nitidae frons aemula gemmae.  
 72 Non roseis tamen illa genis, non marmore colli,  
 73 mollibus aut digitis teneroque superbiit ore :  
 74 pulchra genis Aegle quamvis digitisque Neaera  
 75 atque soror viridem Pollucis cederet herbam.  
 76 Sub Tyrio mens casta ostro, rutiloque sub auro  
 77 simplicitas habitat, splendetque adamante modestus  
 78 hinc illinc animus. Mores non verbere cirri  
 79 concutiunt, aut torta urunt calamistra pudicos.  
 80 Ipsa rudis quondam rerumque ignara domusque,  
 81 jam callet placare Larem, fictumque maritum  
 82 obsequio mulcet, puerisque cubilia sternit

83 postgenitis, vacuisque canit sua carmina cunis.  
 84 Jam ludens agitat post exercenda severae  
 85 aetati, et seris post cognoscenda sub annis  
 86 experiens, infans praebet documenta futuri.  
 87 Nunc veterum tractare juvat monumenta librorum,  
 88 aut quicquid liquida calamus fuligine pingit.  
 89 Multa sed adspexisse pudet, Venerisque sagittas  
 90 non patitur ; furtumque Helenae condemnat et ignes  
 91 Sidonios, altae licet haec Carthaginis auctor  
 92 audiat, et Graias superet licet altera formas.  
 93 Quae caeli docuere placent. Quae jussa ligarunt  
 94 Isacidas, quae laeta Petrus, quae nuntia Paullus  
 95 prodidit, et qualem docuit sperare quietem,  
 96 haec voluit, memorique simul complectitur arte.  
 97 Illa docet resonare domos sacra vulnera Jesu  
 98 purpureoque omnes roratas sanguine terras.  
 99 Exsulat ore Venus, nescitque Amaryllida lingua,  
 100 et Pholoen, nitidoque procacem lumine Daphnin.  
 101 Non Phyllis capit ulla locum, Corydonque petulcus  
 102 pellitur ad capras armentaque bubula pastor.  
 103 Talis Penelope prudentem flexit Ulysses,  
 104 fila jubens celeres longum producere fusos,  
 105 Palladaque intexens aurato cuspide peplo.  
 106 Talis et Andromache tardantes Hectoris ignes  
 107 elicuit. Talis casto Lucretia vultu  
 108 Tarquinius, natumque Dea Lavinia virgo,  
 109 callidaque iratum Isaidem permovit Abigal.  
 110 Talis et Augusto laudata es Principe conjux  
 111 Dorothee ; talis placuisti virgo marito,  
 112 et viduos ardere toros, tristesque cupressos  
 113 culta Dionaeis fecisti surgere myrtis.  
 114 Viderat hoc quondam praesago Julius astu  
 115 Henricus, natumque dolens abrumpere Parcas  
 116 stamina : tu vero seros da, filia, Guelphos,  
 117 et patriam renovato domum, defunctaque Juli  
 118 gloria perpetuos te per revirescat in annos.  
 119 Dixerat. At votis placido Deus annuit ore,  
 120 et neptem Guelphis divisque replevit Iulis.  
 121 Ipsa etiam primum favit Lucina, torosque  
 122 fructum agere, et quos blanditior perflaverat ignes  
 123 longe illos rutilas mandavit didere flammis.  
 124 Paruit et thalamus, neque simplice munere gentis  
 125 spem mactare studet. Nunc commodat ille puellas,  
 126 nunc pueros, qui clara dabunt cognomina Guelphos,  
 127 aut alii dominos poterunt progignere plebi.  
 128 Desine Cecropias mendax jactare maritas  
 129 Graecia. Nec Latiis solvat post ora Camenis  
 130 Oenotria de gente uxor. Tibi Livia nubat  
 131 Octavi, sterili taeda, furtivaque conjux,  
 132 et vetitos ingressa toros. Injusta noverca  
 133 illa eadem justos multavit morte nepotes,  
 134 ut dominum capreis coleres, Romane, Neronem.  
 135 Augusto meliore Duci jungitur uxor  
 136 Dorothea augurio : mater fecunda, nec ullis  
 137 ignibus attacta, aut Laribus direpta mariti  
 138 invitis, avibusque malis. Capanea conjux,  
 139 Hermioneque una hac, et Laodamia refertur,  
 140 Penelopeque, ultrixque sui Lucretia lecti.

141 O rerumque hominumque vices ! Incerta feruntur  
142 omnia. Foedantur gravibus bona maxima damnis.  
143 Tempus erat, quum Saxo novi natalia regis  
144 exspectans peteret. Turgescens creverat alvus,  
145 spondebatque Ducem. Decies jam Cynthia matrem  
146 viserat et pleno lustrarat lumine fetum.  
147 Jam dolor advenit. Trepidae sua lintea matres  
148 expediunt, laetis ardentque cubilia flammis.  
149 Observant uterum, et tardo fomenta ministrant  
150 spe plenae pavidaeque simul. Nec Numina desunt  
151 sponte sua, quae femineis non arcuit ordo  
152 rebus, et arcanis prohibet reverentia sacris.  
153 Ipsa etiam ad sellam virtus stetit : ipsa dolenti  
154 adstitit et pietas, niveis circumdata pallis,  
155 qualis erat quum Saturno sub rege fluebant  
156 tempora, nec Phoebus stillantia ferra cruore,  
157 plumbea fulgenti nec pondera viderat axe.  
158 Ambae aderant, inuptae ambae intactaeque puellae :  
159 virgineus cedit tenero dum candor amori,  
160 curaque sollicitis pudibunda obnubilat ora.  
161 Una aberat Lucina. Una non victima cordi,  
162 unica fastidit flaventia succina Balthis,  
163 et quae rite adolent percussae tura maritae.  
164 Illa sinum rigido ferro concluserat omnem :  
165 illa adamante alvum triplicique ligaverat aere.  
166 Frustra est Divarum auxilium, matrumve querelae,  
167 votaue nequicquam conscendunt culmina caeli.  
168 Bis medicas fert Phoebus opes, bis fortia Phoebe  
169 gramina propinat. Parcae inclementia vincit,  
170 amittitque suam medicatrix India laudem.  
171 Heu quam saepe arctos conata est solvere fasces  
172 infelix, orbemque novo pia principe nostrum  
173 ditare ! Heu quantos lacrimarum protulit imbres  
174 lucta gravis, saevusque dolor ! Frustra omnia. Frustra  
175 niteris, o mulier ! Quid contra fata laborans  
176 deficientem animam vanum conando fatigas ? "  
177 Sic dixit ; miserans donec Proserpina crinem  
178 abstulit, et furvis flavum caput abdidit umbris.  
179 Illa obit et patrio mentem transcribit olympos.  
180 Tunc virtus pietasque comis in colla solutis  
181 atratum sumpsere habitum. Tunc numina luctu  
182 obstupere gravi, saxosaque pondera duris  
183 corporibus non jam tremulae retulere maritae.  
184 Exoritur gemitusque virum, clamorque dolentum.  
185 Dorotheam Guelphi pueri, Guelphaeque puellae  
186 ingeminant matrem. Matrem sublimia tecta  
187 Dorotheam, dominamque imae plangore cavernae  
188 raptam ululant. Permista domus penetralia fletu  
189 respondent. Feriunt rutilantia sidera questus.  
190 Pallet ebur. Damnat roseos jam purpura vultus  
191 umbrarumque nigra se mallet imagine condi.  
192 Insequitur fremitu Chaucus, lacrimasque Cherusci  
193 nequicquam retinere student. Illae impete multo  
194 prosiliunt, et clausa ruunt per lumina passim,  
195 oraue non solito confundunt flumine torva.  
196 Haud aliter quam tu nivibus potate Sudetum  
197 Albi furis : frustra noto te limine sollers  
198 includit Lycidas, congestoque aggere frenat :

199 omnia franguntur, fluitantque repagula campis.  
 200 Et montes quoque maeror habet, silvaeque canoras  
 201 triste jubent volucres carmen, Parcasque severas  
 202 crudelesque Deos liquidis narrare fluentis.  
 203 Dicite Naiades, pleno quas Allaris ore,  
 204 quas Oucer, quas Leina vagus, quas Fusa querelas  
 205 fuderit, et siccas quo fonte rigaverit herbas.  
 206 Ipse caput, barbamque senem, tremebundaque quassans  
 207 membra : "Dolor nempe hic mihi deerat ; nec satis urbem est  
 208 perdere, Pergameasque iterum spectasse ruinas  
 209 et cineres cineri impositos, nova jungere busta  
 210 condecuit" : fatus, gemitansque infrenduit Albis.  
 211 Flet Vesperis, multaue dolens frontem occulit alga  
 212 et litus nudum, nudosque in litore pisces  
 213 destituit. Validis Nereus sed fluctibus obstat  
 214 damna querens eadem, Cimbrumque ferocior aedes  
 215 sternit aquis, vastasque immiscet montibus undas.  
 216 Phocas quercus habet, contra nant aequore vaccae,  
 217 et genitus modo pullus equa, non conjuge conjux,  
 218 matribus haud infans defenditur ; obruit omnes  
 219 mors una, et caeco mergit crudelis Averno.  
 220 Omnia sic lacrimant. Sic fata atrocia quisque  
 221 incusat ; sed nemo magis te, maxime Princeps,  
 222 Dis genite, o Auguste pater, tibi flebilis urna  
 223 prae cunctis haec visa fuit, duplicantque dolorem  
 224 bis vidui thalami, geminataque busta penatum.  
 225 Dorotheam nox sera vocat. Lux aurea poscit  
 226 Dorotheam. Quaerit solam hanc neque repperit illam  
 227 tristitia, et studio sese delassat inani.  
 228 Musa, sile mala verba Ducis, funestaque peplo  
 229 vota tege : haud memorent venturaque tempora questus  
 230 tam duros, frustraue aliam per Tartara rursus  
 231 quaesitam Eurydicen, tentataque numina noctis.  
 232 Talis in Hercyniis, elata cacumina, pini  
 233 ad vitreos Bodae latices quas funditis, umbris,  
 234 conjugis ereptae queritur fata aspera turtur,  
 235 quam nido durus venator et ova foventem  
 236 grandine non una exanimem trajecit in ipso.  
 237 Ille gemit, refugitque sui solamina luctus,  
 238 et querulo fagos praeduraque roborata cantu  
 239 in lacrimas tenebrosa etiam de nocte resolvit.  
 240 Crudelis Lucina, tenet quae regia Pellae  
 241 aut Ephesus furibundam animam ? Quo crimine laesa  
 242 quidve dolens tantum muliebri in corpore saevis ;  
 243 nec pietas virtusque tuum placare furorem,  
 244 victima nec potuit freudentem tollere bilem ?  
 245 Attamen haud myrrhae dubitasti solvere lignis  
 246 induratum uterum, quamvis Cinyram illa parentem  
 247 ussisset, diroque satu crevisset Adonis.  
 248 Tu vero, miserande puer, seu maluit esse  
 249 te sexu inferiore Deus, nascique puella  
 250 debueris, cur sponte tua non aspera matris  
 251 vincula rupisti ? Cur lucida tela diei  
 252 contemnens tenebrosa petis ? Num vivere tantum  
 253 coepisti, ut morerere iterum, sed vivere non est  
 254 non nasci. Moreris, quum nondum vivere vitam  
 255 coeperis : anticipant tristes spiracula taxi.  
 256 Fallor, an ingentes sensisti mente labores

257 queis non fata premunt ; procul atque avertere vultus  
 258 fas potius visum, quam lumina pascere tristi  
 259 officio, atque hominum sceleratas visere dextras ?  
 260 Heu patriam, priscamque fidem, viresque parentum  
 261 Romulei dominas populi ! Vesania quaenam  
 262 civiles agitare acies nos barbara fecit,  
 263 fraternoque manus docuit temerare cruore ?  
 264 Obtege, Phoebe, caput. Furvis nox atra catenis  
 265 crudeles constringe animas. Neu crimina nostra  
 266 cerne Phlegon. Alio Pyrois post luceat orbe,  
 267 post Aethon alibi flammantes explicet alas.  
 268 Quod nondum geniti horrescunt, nec viderit alto  
 269 Delius, aut aliis memorent mortalibus olim  
 270 saecula, quae in seros devolvunt astra nepotes.  
 271 At tu si dias voluisses visere luces,  
 272 nostraque non nimium tibi fastidita fuissent ;  
 273 Arminium te libertas Germanica quondam  
 274 fracta salutasset, puer optime : tuque tumultus  
 275 et patriae rabiem, et civiles ensibus enses  
 276 infestos, roseo potuisses ponere vultu.  
 277 Dis aliter placuit. Nimium Germania felix  
 278 visa polo, propria haec nobis si dona fuissent,  
 279 et tranquillatis cessissent nubila ventis.  
 280 An satis est, fratres teneri teneraeque puellae  
 281 quod superent, hisque auspiciis Saturnia quondam.  
 282 Regna revertentur, paxque exoptata virebit ?  
 283 Crescite, io, pueri ! Per vos Germania felix  
 284 surget, et antiquam longe trans culmina celsae  
 285 Pyrenes, transque aereas vim proferet Alpes.  
 286 Tum Phariae potator aquae, tum munera Baetis,  
 287 cinnama tum ducibus Nisaeus mittet Hydaspes.  
 288 Ipse ferax armis victoque oriente superbus  
 289 pronus adorabit vestigia Turcus equorum.  
 290 Crescite, io, pueri ! Sudabunt robora melle,  
 291 et biferum pecudes uterum, triferumque bidentes  
 292 gestabunt, et mille simul de simplice grano  
 293 prosilient, gravidaeque cadent sub pondere mali.  
 294 Vivite. Solatur longi dispendia belli  
 295 spes melior, tumulumque tuum, generosa propago  
 296 Dorothee, mollit. Florent hoc germine busta  
 297 suaviter in campos transpiratura beatos.

IN OBITUM JOANNIS LUDERI POLIT. IN ACADEMIA JULIA PROFESS.

F\_2A v.1 Interitum, Ludere, tuum flevere Camenae,  
 2 et querulo gemuit pectore blanda Charis.  
 3 Stabat Atlantiades, nec se sibi fidere soli,  
 4 tam facunda videns posse etiam ora mori.  
 5 Quid Themidos referam lacrimas, quid murmura Phoebi,  
 6 et quos ediderint pulpita maesta sonos ?  
 7 Hercyniae Dryades, vosque Elmi numina Fauni,  
 8 cunctaque qui spectas tu, Meliboee pater,  
 9 dicite, quid Phoebus tristis responderit Elmus,  
 10 cum raucum ingemeret pollice tacta chelys.  
 11 Dicite, quas voces profundat Iulias ore :  
 12 dicite, quo madeat Palladis imbre gena ?  
 13 Pallada Luderus, Luderum Pallas amavit,

14 ereptumque sibi luget acerba virum.  
 15 Carmina sunt multis non ulla audita diebus,  
 16 et dolor in duram pertigit acris humum.  
 17 Parcito Diva genis. Superat tuus alter Apollo,  
 18 et meliore sui sidera parte tenet.  
 19 Ille per Hesperias extendit nomina terras,  
 20 et qua flammicomos, Cynthie, ducis equos.  
 21 Ille vagas hominum mentes et lubrica terrae,  
 22 omneque ab aethereo despicit axe solum.  
 23 Ille modis felix cunctis, nunc perpetuum ver,  
 24 nec peritura olim gaudia laetus agit.  
 25 Purpureas, Dea, sparge rosas, date lilia, Musae,  
 26 frigida ut aeternum floreat urna viri.  
 27 Florentum tumulos fas est florere virorum :  
 28 fas est post obitus ora diserta loqui.

EPITAPHIUM.

F\_2B v.1 Invida Luderus quem Parca et candida virtus  
 2 non homines inter degere passa fuit,  
 3 exiguo omne suum tumulo hoc mortale locavit,  
 4 ista recepturus quum nova saecla fluent.  
 5 Fama viget, mens docta suis conjungitur astris.  
 6 Sic moriens, moritur nemo, sed eripitur.

CENOTAPHIUM JOANNIS ANDREAE BOSII IN ACAD. SALAN. HISTOR. PROF.

F\_3 v.1 Bosius haud pridem docto carissimus orbi,  
 2 adflicti hic posuit corporis exuvias.  
 3 Perdidit hoc obitu praestantem Iena magistrum :  
 4 nec reddent facile tempora multa parem.

EPITAPHIUM GEORGII KOENIG SS. THEOL. D. ET PROF. PUBL.  
IN ACAD. ALTDORFFINA.

F\_4 v.1 Theiologus nulli quondam virtute secundus  
 2 hoc posuit tumulo corporis exuvias.  
 3 Insigni pietate Deo qui vixit amicus,  
 4 mortuus ille Deo jam pietate pari.  
 5 Hactenus in terris audivit nomine vano  
 6 rex. Ast nunc posthac caelica regna colit.  
 7 Rex verus, rex idem hominum, summique sacerdos  
 8 Numinis. Heu ! Quantum est vivere, obire Deo.

IN JOAN. HENRICI HOETTINGERI OBITUM.

F\_5 v.1 Qui studio et meritis praeluxti milibus unus,  
 2 molliter et sero denique digne mori,  
 3 Hoettingere, decus Tiguri sanctaeque tiarae,  
 4 quove patent nobis dante Orientis opes :  
 5 quam tu praepropere cunctis facto occidis, eheu !  
 6 Quam tristi nimium condicione peris !  
 7 Aeternis planget lacrimis te doctior orbis,

8 nec facile referent saecula futura parem.

EPITAPHIUM JUSTI HESSEN AD S. CATHARINAM IN BRUNSVICO ARCHI-DIACONI.

F\_6 v.1 Sincerus verae qui relligionis amator,  
 2 exemplarque suis qui pietatis erat :  
 3 qui Christi praecepta, viamque ad caelica regna  
 4 facundo Christi tradidit ore gregi :  
 5 moribus haud minus ille suo, quam nomine "Justus",  
 6 hic cubat, exspectans praemia, Christe, tua ;  
 7 corporis exuvias animae quum junxeris olim,  
 8 gaudia largitus non moritura piis.  
 9 Felicem, qui justa docens justa et facit idem !  
 10 Non moritur : quamvis mortuus, ille viget.

IN OBITUM ELISABETHAE RADEMANNIAE  
 HENRICI SCHMERHEMII I.U.D. ET PROF. UXORIS.

F\_7 v.1 Schmerhemii conjux, virtus quam prisca fidesque,  
 2 formaque femineo praetulit alba gregi,  
 3 exuvias praecelsae animae, tenebrosaque mentis  
 4 claustra sub hoc tenui condere jussit humo.  
 5 Sideribus conjuncta suis mens libera caelo  
 6 fulget, et humanum despicit omne genus.  
 7 Sparge tamen violas et candida lilia terris ;  
 8 spargito purpureis plena canistra rosis :  
 9 vere novo turgebit humus, reddetque sepulchrum  
 10 aemula de putrido pulvere membra polo.  
 11 Parvula in umbriferas sic semina crescitis alnos,  
 12 dives et e grano surgis arista levi.

EPITAPHIUM KUNEGUNDAE BUSSELBERGS UXORIS ANDREAE SINGERI  
 MEDIC. DOCTORIS ET APUD BRUNSVICENSES PRACTICI.

F\_8 v.1 Singeri conjux, inter quam candida virtus  
 2 humanas non est vivere passa sedes,  
 3 exiguo omne suum tumulo hoc mortale locavit,  
 4 non ante extremum reppetitura diem.  
 5 Frustra illam Phoebus, frustra retinere maritus  
 6 herbarum voluit robore, amore suo.  
 7 Fortior astrorum vis est. Mens appetit astra,  
 8 inque sibi similes evolat ipsa locos.

CENOTAPHIUM ANNAE SIBYLLAE  
 FILIAE CASPARI HOFMANNI MEDICI ALTDORFINI  
 NUPTAE CHRISTOPHORO KERNIO POLIATRO GOTHANO.

F\_9 v.1 Conditur hoc tumulo, medico prognata parente,  
 2 atque eadem medico nupta Sibylla viro.  
 3 Sed non sola tamen, simul una clauditur urna  
 4 et forma, et pietas, femineumque decus.  
 5 Desine Apollineas Parcis opponere vires,



6 tempora virtuti aut longa parare tibi !  
 7 Pestiferum Morta virus spargente Machaon  
 8 nil valet, et vultus cum pietate perit.  
 9 Una salus superat : patriis mox jungimur astris,  
 10 et caro de putrido pulvere surget ovans.

IN OBITUM HERMANNI CONERDINGII MED. D. ET ARCHIATRI GUELPHICI.

F\_10 v.1 Conerdinge, tuos cineres praecelsa ducalis  
 2 ipsa domus luxit, tacta dolore gravi.  
 3 Hoc pietas, candor, felixque peritia sani,  
 4 vivendi hoc ratio provida commeruit.  
 5 Lugeret mortem virtus arsque ipsa medendi ;  
 6 verum anima haud patitur flere recepta polo.

IN MORTE JOANNIS CONRADI SCHROEDERI PRAEFECTI SCHLIETZAE.

F\_11 v.1 Heu, nimis ante diem moreris, gener optime, linquens  
 2 usque adeo uxorem, meque meosque cito !  
 3 Longo aptum te aevo virtus faciebat, amorque  
 4 multorum, nec non sedula cura boni.  
 5 Visum aliud superis : nobis parere necessum est :  
 6 quin ergo in caelis vive videque Deum.

EPITAPHIUM ELISABETHAE SCHRADERIAE UXORIS CONRADI BARPKEN, ICTI.

F\_12 v.1 Gentis Schraderae, Saxonum terrae decus,  
 2 Brunsvica multis saeculis quam nobiles  
 3 inter suos amplectitur cives sinu,  
 4 eademque sexus feminini corculum :  
 5 cultrix mariti fida, et optimi viri,  
 6 par moribus, virtute neutiquam minor :  
 7 anima recepta caelitem consortio,  
 8 hoc in sepulcro membra fecit condier.

CENOTAPHIUM CHRISTIANI WILHELMI ENGELBRECHT  
 ORD. DUCATUS CALENB. SYNDICI ET QUAESTORIS AERARII.

F\_13 v.1 Engelbrechtiades, digna Arnoldina propago,  
 2 facundo haud impar lingua animoque patri :  
 3 ordinibus patriae cum dexteritate fideque  
 4 insigni, longo tempore profuerat :  
 5 omnibus acceptus vera virtute redemptis,  
 6 mente ipsi gratis ac pietate Deo :  
 7 et morbo et multo confractus membra labore,  
 8 hic tandem posuit corporis exuvias.  
 9 Non similem temere dabit haec tibi, Chaucia tellus :  
 10 plange obitum tanti, Chaucia, plange viri.

IN TUMULUM FRIDERICI III. DANIAE AC NORVEGIAE MONARCHAE.

F\_14 v.1 Regum propago, Frisius sanguis vetus :

2 Rex ipse magnus, regis exemplar boni :  
 3 clemens, benignus, fortis inter aspera :  
 4 in patriam, patrem, Deumque nemini  
 5 pietate cedens ; sidus ordinis sacrum :  
 6 prudens fidelis aestimator consili,  
 7 operisque largus munerator utilis :  
 8 patronus eruditionis inclitus :  
 9 adversa per felicitatis ad gradum  
 10 summum labore plurimo evector denique :  
 11 Fridericus, ille Cimbriae ac Codaniae  
 12 voto expetitus, omnibus faventibus,  
 13 primus Monarcha : mente caelis reddita,  
 14 regum hoc sepulchro membra fecit condier.

EPITAPHIUM CONRADI HORNEII S. THEOL. D. AC PROF.

F\_15 v.1 Nulli secundus gentis eruditorum,  
 2 nulli secundus ille Christianorum,  
 3 virtute serioque numinis cultu :  
 4 sapientiae magister ille mundanae,  
 5 sapientiae magister ille divinae,  
 6 quo plurimum docente Julias quondam  
 7 inter sorores jure gloriabatur :  
 8 "Meus ille magnus, heu ! amicus Horneius,  
 9 solis molestus impiis vel indoctis ;  
 10 ereptus orbi, mente reddita caelo,  
 11 languore multo fracta condidit membra  
 12 tenui hoc sepulchro. Quicquid uspiam est docti  
 13 lugeto. Fleto quicquid uspiam est recti,  
 14 sprete improba calumniantium lingua.

EPITAPHIUM GEORGII CALIXTI.

F\_16 v.1 Calixtus ille, cujus inclitum nomen  
 2 miratur eruditus orbis, et donec  
 3 erit eruditioni honos, adorabit :  
 4 desiderator pacis atque curator  
 5 Ecclesiasticae ille ; sed parum gratus,  
 6 invisus imo factionibus, felix  
 7 Christo favente et optimis peracceptus :  
 8 hoc in sepulchro conquiescit, exspectans  
 9 vocem inde rursus evocantis in caelos.

IN OBITUM CHRISTOPHORI SCHRADERI ELOQUENTIAE PROF. PUBL. ORDIN.  
 CENOTAPHIUM.

F\_17 v.1 Suadae magister cultioris et sacrae,  
 2 ex penna et ore cujus eloquentiam  
 3 multos per annos hausit alma Julia ;  
 4 qualem Stagirae, Tullii atque Quintili  
 5 de fonte puro comparant pauci sibi.  
 6 Fidelis ille promus ac condus rei  
 7 bibliothecae omnis, publico quam commodo  
 8 armariis recondit Julias suis.  
 9 Deo sacrati virginum praeses chori :

10 scholasticaeque dux juventae strenuus.  
 11 Ille, ille felix educator liberum,  
 12 fecunda multos quos tulit conjux patri.  
 13 Pietatis ille pacis atque ecclesiae,  
 14 ringente quamvis Furnii turba improba,  
 15 tutela fortis, dexteræ et scutum manus.  
 16 Schraderus, ille nomine atque pectore  
 17 Christum ferens, Christum exprimensque moribus  
 18 vitam per omnem ; fractus annis denique  
 19 hoc in sepulchro membra fecit condier.

IN FUNERE JOANNIS HEINRICI MEIBOMII MEDIC. DOCTOR. ET ARCHIAT. LUBECENS.

F\_18 v.1 Phoebi sacerdos, Aesculapii lumen,  
 2 pullus Minervæ, corculum Camenarum,  
 3 cui pectus ipsæ Gratia poliverunt,  
 4 Lubeca vivos plurimos cui debet :  
 5 ab eruditis ille sic celebratus,  
 6 tot monumentis ingenii datis luci :  
 7 ille et meorum ingens amicus, heu ! Quondam :  
 8 docti parentis filius magis doctus,  
 9 Meibomius nostras Ianus Heinricus,  
 10 animo reposito sedibus beatorum,  
 11 isthoc sepulchro membra condier jussit.  
 12 Ave viator, exprimens vel exemplum,  
 13 vitam perennem comprecansque defuncto.

EPITAPHIUM

CHRISTIANI FRIDERICI AUGUSTI BRUNSV. ET LUNEBURG. DUCIS FILIOLI.

F\_19 v.1 Guelphum propago, sanguis Imperatorum,  
 2 spes magna Chaucum Venetumque solamen.  
 3 Acerque fortis aemulus Armini quondam  
 4 deperditæ salus rei Theotiscum,  
 5 quam plurimus nunc calcat hostis impune :  
 6 diem ante luci derepente subductus  
 7 aedem beatae mentis, ac simul nostram  
 8 spem collocavit marmore hoc sub infesto.  
 9 Heu spes inanes, heu futura tempestas !

IN OBITUM BALTHASARIS CELLARII S. THEOL. D. ET PROFES. EPITAPHIUM.

F\_20 v.1 Vir arbitrandi vi profunda quantumvis  
 2 et perspicacis ingenii valens dote,  
 3 virtute doctrinaque plurimis præstans,  
 4 bonorum amicus strenuusque defensor.  
 5 Ecclesiae atque Juliae decus magnum,  
 6 verbi ille præco maxime salutaris  
 7 Cellarius : fidelis officii curæ  
 8 laude impetrata, ac reddita Deo mente,  
 9 hoc in sepulchro membra claudier fecit,  
 10 tubæ excitantis proxime sonum exspectans.

IN OBITUM JUSTI GESENI  
S. THEOL. D. ET IN DUCAT. CALENB. SUPERINTEND. GENERAL.

F\_21 v.1 Sanctae columna et fulgidum jubar domus,  
2 qui voce viva et aeviternis litteris  
3 arcem ad salutis duxit orbem sedulo :  
4 vir magnus idem et optimus Gesenius ;  
5 hic conquiescit nonnihil ; sed corpore  
6 solo, beatis mente cessa sedibus,  
7 resuscitandus angeli quondam tuba.

IN AGNETEN MARGARETHAM CONERDINGIAM  
CHRISTOPH. SCHRADERI CONSIL. AUL. ELECTOR. BRUNS. ET LUNEB.  
H. T. AD COMIT. RATISBON. LEGAT.  
UXOREM CENOTAPHIUM.

F\_22 v.1 Agnes parente nata Conerdingio  
2 amata sancte conjugii Schraderio,  
3 fecunda mater liberum jam quattuor,  
4 suae administratrix domus sollers, cata,  
5 perpulchra fronte, mente pulchrior tamen,  
6 ac feminini splendidum decus gregis :  
7 aetatis ipso in flore, felix undique  
8 animam evocanti in caelitem sedes Deo  
9 prompte obsecuta, terreum omne hic condidit ;  
10 fulgentiore certa quondam redditum  
11 Iri figura ; quum placebit iudici,  
12 aeternitati consecrare mortuos.

MEMORIAE CHRISTIANI ARNOLDI CONERDINGII  
GEORGII WILHELMI DUCIS BRUNSV. ET LUNEBURG. ARCHIATRI  
CENOTAPHIUM.

F\_23 v.1 Christianus ille Arnoldus, natus patre  
2 Theoderico, gente Conerdingio,  
3 ars quem medendi reddidit summatibus  
4 multis peracceptum et simul minoribus,  
5 jam tum ipse felix semita pressa patris,  
6 et gratus aulis, undiquaque idem brevi  
7 futurus absolutus, et medentium  
8 gregis jubar resplendens atque gloria :  
9 sed flore in ipso raptus aetatis suae,  
10 frustratur etsi spem suorum et saeculi,  
11 mentem receptus attamen sedem in sacram,  
12 augustiore jam beatus est loco,  
13 et carnis ipsa hic conquiescit sarcina.  
14 Quam fluxa quamque incerta sunt mortalium  
15 in hisce terris cuncta ! Nam medentium  
16 in ordinem mors saevit aequae ac ceteros.

EPITAPHIUM ANNAE MARIAE TULSNERIAE UXORIS HULD. EYBENII.

F\_24 v.1 Tulsnerio parente nata praeclaro

2 conjuxque grata Eybenii, viri magni,  
 3 complurium fecunda liberum mater,  
 4 matrona lecta, et inclitum decus sexus,  
 5 felix marito, re, parentibus, prole,  
 6 virtute sed felicior, Deo cara,  
 7 erepta terris, heu ! Cita nimis morte,  
 8 hoc in sepulchro jam cubans tubae signum  
 9 caelestium ad sedem evocantis exspectat.

EPITAPHIUM MARGARETHAE HACKMANS  
 UXORIS BRANDANI DAETRII S. THEOL. D. ET &SUPERINTEND. BRUNSVIC.

F\_25 v.1 Flos feminarum, pulchritudinis decus,  
 2 virtutis icon, et mariti gloria,  
 3 ipsa in juvena heu ! Aspero fato occidens,  
 4 mentem beatam reddidit quidem polo ;  
 5 ast corpus aegrum hoc in sepulchro condidit,  
 6 flenda atque praedicanda semper posteris.

EPITAPHIUM ANNAE ELISABETHAE CLACIAE  
 UXORIS JACOBI TAPPPII MED. D. &EJUSQUE IN ACAD. JULIA PROFESSORIS.

F\_26 v.1 Flos feminini et unicum decus sexus,  
 2 virtutis atque castitatis exemplar,  
 3 vultu decora, moribus procul fastu,  
 4 fulcrum mariti et liberum tenellorum,  
 5 Anna, heu ! Elissa Claciae domus sanguis,  
 6 conjuxque Tappi, Juliae facis nostrae,  
 7 ipsa in juvena virulentia tabis  
 8 confecta, mente reddita suis caelis,  
 9 hoc in sepulchro adesa condidit membra.  
 10 Flete, ah ! mariti, flete conjuges cunctae.

IN OBITUM MARIAE HOSANGS ANDREAE KINDERLINGII PROF. PUBL. VIDUAE  
 CENOTAPHIUM.

F\_27 v.1 Matrona patre nata consule Hosangio,  
 2 conjuxque Kinderlingii, clari viri.  
 3 Fecunda mater liberorum plurium.  
 4 Prudens magistra et educatrix omnium.  
 5 Columna fida totius suae domus.  
 6 Vivi mariti gaudium, laus mortui.  
 7 Pietatis atque castitatis lux micans.  
 8 Et ipsa tandem sevocata caelitus,  
 9 corpus sepulchro hoc, mente reddita Deo,  
 10 fecit recondi, donicum clangor tubae  
 11 ad ultimum omnes excitabit judicem.

-----

IN NUPTIIS CHRISTIANI LUDOVICI DUCIS BRUNSV. ET LUNEB.  
 ET DOROTHEAE NORVEGIAE  
 HEREDUM SCHLESVICI ET HOLSATIAE DUCUM FAMILIA NATAE.

F\_28 v.1 Chaucia Mavortis pridem subjecta furori,  
 2 cui nondum longi potuit dispendia belli  
 3 solari pax ipsa satis, nunc fronte serena  
 4 omnem tandem animo penitus depone dolorem,  
 5 immemor ante mali ; tandem praesaga futuri  
 6 nil trepidans meliorem animo spem concipe laeto.  
 7 Ecce novus tibi semideum promittitur ordo,  
 8 qui possintque velintque simul prudentibus ausis,  
 9 et victrice manu patria procul omne malignum  
 10 pellere, securam et fessis praestare quietem.  
 11 Cimbrica nam Guelphi pia scandit Nympha cubile  
 12 herois, quo nemo prior probitate fideque,  
 13 nemo prior fortis constanti robore mentis,  
 14 ipsa parem saeclo sobolem missura nepotum.  
 15 Nympha veni. Posuere minas Boreasque Notusque,  
 16 ne metuas. Jam lene fluit crispantibus undis,  
 17 indomitumque caput submittit spumifer Albis.  
 18 Aurea purpureas jam tum ratis explicat alas,  
 19 formosam vectura sinu, sacra pondera, divam.  
 20 Ipus in adverso, spe multa atque omine multo  
 21 plenus jamdudum procul adstat littore Chaucus,  
 22 excepturus heram. Fumant altaria passim  
 23 caedunturque boves lecti, lectique bidentes ;  
 24 circumstante choro Dryadum, plaudentibus et Dis.  
 25 Nympha venit. Nymphae multae comitantur euntem  
 26 eximia cunctae forma. Sed Cynthia qualis  
 27 inter Phoebeis facibus reliqua emicat astra,  
 28 ipsa omnes inter propria sic sede refulget.  
 29 Os roseum roseasque genas frons candida multa  
 30 laude vehit. Vultum exornant bina aemula gemmis  
 31 lumina. Queis parium verbis superantia marmor  
 32 lactea colla feram, teneros et corporis artus,  
 33 qualibus elicuit duri Mavortis amorem  
 34 pulchra Venus, Paridisque tulit victricia mala.  
 35 Magna haec majorem probitas affulget honorem.  
 36 In roseo latet ore pudor. Prudentia frontem  
 37 signat : luminibus sua sancta modestia splendet,  
 38 ipsaque cordis habet sollers penetralia virtus.  
 39 Callida Jessaeum hoc habitu placavit Abigal,  
 40 inque sacrum quondam thalamum devenit Ulyssis  
 41 Penelope. Quondam tardantes Hectoris ignes  
 42 movit ita Andromache. Quondam Lavinia virgo  
 43 sic placuit tibi nate Dea. Sic casta marito  
 44 Tarquinio quondam placuit Lucretia conjux.  
 45 Sponse, veni ! Nova nupta venit. Hymen, hymenaeae !  
 46 Atria jam passim taedis lucentibus ardent,  
 47 pandunturque fores. Spectantur flammae jam tum  
 48 eminus. At magis est multo spectabilis auro  
 49 sponsa ipsa. Properant currus. Quatit ungula campum,  
 50 hinnitusque suo complent jam cuncta caballi.  
 51 Compita jam resonantque tubis clangentibus. Auras  
 52 jam vox una ferit : Hymen ades o Hymenaeae.

53 Felices animae, saeculi spes una futuri,  
 54 aeternus vos jungat amor, vos copula jungat  
 55 sanctior auspiciis nostri melioribus aevi !

AD FRIDERICUM ULRICUM TEDENERUM.

F\_29 v.1 Tedenere avorum haud degener nepos magnum,  
 2 fortuna cujus laetior statim et virtus  
 3 nascentis astrum temperare coeperunt.  
 4 Prodi, o beate ! Scande Juliae nostrae  
 5 claras cathedras, et sodalibus gnavis,  
 6 divae Themistos sacra qui colunt tecum,  
 7 sicut magistris per periculum duplex  
 8 te jam probasti, sic probare te perge.  
 9 Parata laus est, expedita stat laurus  
 10 ac circuire jam tuum caput gestit.  
 11 In publico decus paratur et nomen.  
 12 Celata ferme nil inertiae virtus,  
 13 ignobilisque sudor otio differt.

ADLOQUIUM AD ARCAM QUA E CARCERE ELATUS EST HUGO GROTIUS.

F\_30 v.1 Dulces latebrae, temporis domus parvi  
 2 angusta, laxo quae viam facis caelo,  
 3 clausum parumper spiritum manumittens,  
 4 onus quod aegre congregum manu multa  
 5 interquiescens pertulit ferus miles,  
 6 tandemque caecum tradidit rati pignus  
 7 late vehendum Vahalis impetu prono ;  
 8 quas Arca grates, quas tibi feram laudes ?  
 9 Tibi fugata victa servitus cessit,  
 10 tolerata septem post biennium menses.  
 11 Quod celsa tueor ostia libero vultu,  
 12 quod durus aures non ferit serae stridor,  
 13 obicesque multi barbarique custodes ;  
 14 sed laeta turba comiter salutantum,  
 15 blandique amici, tincta litteris corda,  
 16 (quales, Thuano quo probatior nemo  
 17 Puteanus, et mens erudita Tileni)  
 18 fastidiosas ire non sinunt luces.  
 19 Tibi haec et aliud si quid est boni nobis,  
 20 et si quid ultra restat, Arca, debemus,  
 21 quae merita verbis si liberet aequare,  
 22 opus tot esset, ferre quot soles, libris.

\*\*\*\*\*